

Andreas Daniel Habichhorst Theodor Hein

De Eucharistica Mortis Dominicae Commemoratione, Ex I. Cor. XI, 24. 25. 26. : Dissertatio Theologica

Rostochi[i]: Richelius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740043846>

Druck Freier  Zugang



RU theol. März 1665

Habichhorst, Andr. Dan.

I. N. C. C. A.

De

EUCCHARISTICA
MORTIS DOMINICÆ
COMMEMORATIONE,

Ex I. Cor. XI, 24. 25. 26.

DISSERTATIO THEOLOGICA.

Quam

In Universitate Rostochiensis

SUB MODERAMINE

Spectabilis Venerandæ Facult. Theol. DECANI,

Viri Maximè Rev. Ampl. atq; Excellentissimi

DN. HENRICI MULLERI,

S. S. Theol. D. ejusdemq; Prof. celeberrimi,

Pastoris item Mariani dextrissimi,

Domini sui Fautoris ac Patris Confessarij maximè

venerandi atq; amandi,

ventilandam proponit

PRÆSES

M. ANDREAS DANIEL
HABICHTHORST,

RESPONDENTE

THEODORO HEINIO, Dantiscano.

In Audit. Boreali ad diem Martij, 1665.

— (o) —

Rostoch l Typis Johannis Ricbelii, Sen. Typogr.

Serenissimo Celsissimoq̄, Principi ac Domino,
DN.

CHRISTIANO,

DUCI MEKLENBURGICO, PRINCIPI VANDALORUM,
Sverini & Razeburgi, Comiti item Sverinensi, Terrarum,
Rostochii & Stargardiae Domino, Ordinis Christianissimi
Regis Equiti,

Principi ac Domino meo clementissimo
SALUTEM OMNIGENAM!

Cui potius quàm Tibi, SERENISSIME, hanc inscribam dissertationem? Tuo enim nunc post alias apud exteros habitas fuit conscribenda & habenda, Tuo igitur obtutu quoque erat illustranda. Est illa quidem brevis ac tenuis (neque vero instituti ac temporis ratio prolixior em plenior emque; ferebat) spero tamen fore, ut caelum imitatus exigua etiam, grato devotoque pectore oblata, serenissimo vultu digneris. Major quidem est meus in Tuam SERENITATEM affectus debitus & subiectus, gratiaque; Tuæ in meosque; robur celsius, quàm ut chartaceâ hac oblatiunculâ exprimi vel exhaustiri queat; (nam vel ipsam vitam Tuâ Celsitudini ejusque; saluti me debere fateor) satius tamen est, tenuem quàm nullam statuere obsequii & gratitudinis sive imaginem sive umbram. Respicias igitur hoc quicquid est subiectioris animi meamque; promotionem ad SPARTAM in hac Tua Universitate THEOLOGICAM expressis Tuis severissimisque; rescriptis non modò promissam, verùm designatam intimatamque; quin & extraneâ cujusdam Facultatis Theologicæ judicio commendatam, pro ea quæ polles autoritate (cujus quidem ipsius hoc quoque in negotio habenda omnino est ratio) clementissimè expeditas. Quo nomine Celsitudinis Tuæ gratiâ me porro sublevandum, inque; mihi designato munere confirmandum humilimè offero commendoque;

*Cels. Tuae Serenitatis
devotissimus cliens*

M. A. D. HABICHTHORST.

T. O. A.
Procœmium.



quamvis assidua inter nos & quotidiana esse debeat passionis & mortis Dominicæ meditatio; est enim contra omnes Diaboli hominumq; & carnis tentationes, quas nunquam non experimur, singulare antidotum; præscam tamen Ecclesiam præsens eidem præstituere tempus, quo paulo altiori ea fiat studio, non abs re juvit. Cum verò memoriam passionis Dominicæ non tantum privatis meditationibus & publicis concionibus, sed etiã dignâ cenâ Dominicæ usurpatione recolendam esse noverit: siquidem paulo ante mortem hoc Sacramentum instituit Christus, & eo quidem fine potissimum instituit, ut *quotiescunq; panem in S. Cœna edimus deg. calice bibimus, mortem Domini annunciemus*, interprete Paulo I. Cor. XI. Inde factum esse arbitramur, quod etiam circa hoc ipsum tempus doctrinam de S. COENA inprimis die, quem vulgo dicunt *viridium*, repetendam publicè ordinaverit. Nos igitur, quando de gravissima atq; ex S. literis desumpta Disputationis materia dispicere debebamus, non procul ab illo die constituti congruum fore suffragio Venerandæ Facultatis Theologicæ arbitrabamur, si unum atq; alterum Textus illius dicto diei *Viridium* attemperati atq; ex I. Cor. XI. desumpti versiculum præsentem hac Disputatione tractarem, atq; ita nostram quoque non tantum faceremus testatam mortis Dominicæ meditationem, sed per illam ipsam meditationem *πληροφροειων* quoque nostram contra Diaboli hominumq; & carnis *ἀπολειων* roborarem. Cum autem una vice textus hujus Apostolici recessus proponere, adeoq; satis eundem prout meretur pertractare non liceat, hac vice SENSUM illius GENUINUM, DUCE JESU CHRISTO, amore nostro crucifixo, exhibebimus, ita ut Usum paucis hinc inde immisceamus; reliqua verò, scilicet USUS ejusdem orthodoxi evolutionem uberio-rem, ABUSUSq; heterodoxi vindicationem alii oportunitati, quam DEUS *παιμὲδων καὶ προσερχομένων ὁ ἀπολογηθήσεται* dabit, reservabimus.

VERBA APOSTOLI

I. Corinth. XI. v. 24. 25. 26.

Ex v. 24.

Τῷ ποιῆτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

v. 24.

Hoc facite in mei commemorationem.

Ex v. 25.

Τῷ ποιῆτε, ὅσκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.

v. 25.

Hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei commemoratione.

v. 26.

ὅσκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον, & τὸν, καὶ τὸ ποτήριον & πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ κυρίου λαοῦ ἡμετέρου, ἄχρι ἃς ἂν ἔλθῃ.

v. 26.

Quotiescunq; igitur ederitis panem hunc & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate, donec venerit.

SECTIO prima

Genuinum exhibens SENSUM.

§. 1. Exhibiturus genuinum Textus sensum ante omnia nexu venit evolvendus. In præcedentibus autem reprehenderat Apostolus in Corinthiis ἀτάξίαν circa usurpationem S. Cœnæ animadversam: Corinthii enim ad celebrationem S. Cœnæ convenientes, non expectatis aliis, de ἀγείραις seu collectis in commune collatis non secus epulabantur, ac si gulæ aut ventris gratia conventum esset: dicit enim Apostolus quosdam inebriari, aliquos esurire v. 21. Nimirum ditiores, quia multum contulerant, multum etiam reliquis prævenientes absumentes & inebriabantur; pauperiores verò quia nihil obtulerant, non inveniebant, quod ederent adeoque esuriebant. Ita vero Corinthiorum quidam dividentes mensam sacram communem, præoccupantibus ἰδιον divitioribus & quidem ad luxum vel ebrietatem usque, ita ut hi vel ebrii ad δειπνον κυριῶν accederent & pauperiores pudescerent, non rectè convenire aut cœnam Domini manducare Paulo dicuntur v. 20.

§. 2. Postea verò quam ἀτάξίαν in Corinthiis notasset, nunc in seqq. ex institutione S. Cœnæ Corinthios refutaturus inq; viam exorbitantes reducturus historiam ac verba institutionis repetit, & quidem ut eo majus doctrinæ suæ insit pondus, auctoritatem divi-

tem divinam ante omnia allegat, seqve à Domino accepisse v. 23. præfatur. Deinde tempus institutionis & substantialia cœnæ v. 23. 24. & 25. exprimit. Deniqve salutarem hujus tam sanctæ cœnæ usum & finem ex ore Christi attingit eumq; explicat his ipsis quos proponimus versiculis.

§. 3. Quod ergo ad sensum textus nostri attinet, qui salutarem cœnæ Dominicæ usum & finem, in Eucharisticâ mortis Dominicæ commemoratione inter alia consistentem proponit, duo ille includit: 1. *Christi* de sui in edendo poculo commemoratione *mandatum*. 2. *Pauli* super mandatum illud *commentarium*. *Mandatum*, de quo v. 24. & 25. iterum duo includit. 1. *Exercitium actuum* non sacrificandi, quasi facere hic idem sit quod sacrificare, sed edendi & bibendi, quos expœssis verbis Christus præcepit ap. Matthæum: item indirectè consecrandi & distribuendi. Inde est quod Paulus historiam institutionis reperens disertè testatur, illud *hoc facite* pertinere tam ad calicem, quam ad panem, quândo declarationis gratia ipsius instituto sic ferente *πρὸς δοξασμὸν* illum adjecit: *quotiescunq; bibitis*.

§. 4. Deinde etiam includitur hoc mandato *actuum horum directio in certum finem*, qui est commemoratio Christi, hujusq; commemorationis frequentatio. Cum enim Corinthii in hoc posteriori errarent, neqve eo quo oportebat sine neqve debita cum præparatione S. Cœnam frequentarent, sed perperam circa eam agerent, non abs re fore arbitratus est Paulus ex institutione eos confutaturus & abusum, quo convenientes propriam quisqve cœnam præoccupabat & hic quidem esuriebat, ille vero ebrius erat, correcturus, si repetitam institutionis historiam ad suum accommodaret scopum & sequentes interfereret voces: *quotiescunq; bibitis*, non quod verba illa (Hoc facite in meam commemorationem) absolute & absqve hoc *πρὸς δοξασμὸν* sumta, uti quidem in priori parte habentur, non æque ad calicem atqve ad panem benedictum spectent, sed ut eo clarius id redderet, quod ad redarguendum Corinthiorum errorem faciebat: nempe Christum dicentem: hoc facite &c. præcepisse inter alia etiam illud, ut quando de poculo benedicto vi institutionis & præcepti bibimus, non ventris causa, prout Corinthii ditiores gulæ in S. Synaxi indulgentes & ebrii

& ebrii ad Sacramentum coenae accedentes solebant, sed in gratiam Domini nostri Jesu Christi recordationem id faceremus, & quidem frequenter faceremus.

§ 5. Non autem solum hæc verba inseruit Apostolus, sed ut mentem Christi uberius explicaret, in subseq. v. 26. etiam brevem addit *Commentarium* super hoc mandatum Christi: hoc facite in meam commemorationem, & quidem (1) verba hæc in utraq; coenae parte posita ad utramq; speciem pariter accommodat, dicens: *quotiescunq; enim panem hunc edis & de poculo hoc bibitis.* (2) Commemorationem illam Christi vocat *mortem Dominicam annunciationem* usque ad reditum Christi frequenter exerendam, connectitq; v. 26. cum præcedentibus per particulam *ὡς*, quâ ostendit hæc verba ex sede institutionis Dominicæ esse petita & exponere *ἀνάμνησιν* illam. Huc usque generali textus analysi in sensum ejus inquisivimus.

§ 6. Ut autem singula textus verba inque illis præcepta *commemoratio mortis Dominicæ Eucharistica* in majori collocentur luce, utrumq; & mandatum Christi & Pauli commentarium conjungentes, septem capita commemorationis hujus videbimus, quæ exhibet sequens versiculus memorialis:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Et I. quidem *Quis* commemorare debet mortem Christi? Ex contextu patet quod verbis illis: hoc facite &c. Salvator allocutus fuerit Apostolos; utrum verò ut Apostolos aut ministros, an verò ut Christianos & fideles, vel utrum ad solos ministros Ecclesiæ, an verò etiam ad reliquos fideles pertineant hæc verba, disquiritur. Nos dicimus ex interpretatione Pauli, hæc verba directè & præcipuè dicta esse Apostolis, ut communicantibus & fidelibus, siquidem Paulus explicat de actibus edendi & bibendi. Cum autem illi actus edendi & bibendi non præcisè ad Apostolorum ministerium, sed ad eorum Christianismum spectent, sequitur quod sub illorum personis Christus alios etiam fideles & non solos allocutus fuerit Apostolos, adeoque omnes jusserit fideles adultos ad usque reditum Christi communicaturos, ut non tantum de calice benedicto pariter bibant ac panem benedictum edant, sed etiam
ut quando

ut quando edunt & bibunt, memoriam Christi recolant. Interim non negamus, quod etiam verba (hoc facite &c.) referri possint ad actus consecrandi administrandiq; Eucharistiæ Sacramentum, adeoque dicta sint Apostolis & reliquis Ecclesiæ ministris eodem modo, ut ad illos pertineant quædam ratione propriè, quatenus simul iussi sunt deinceps etiam symbola panis & vini consecrare & administrare, prout ipse in prima cæna fecerat.

§. 7. Quod versiculum 26/ attinet, dirigitur hic à Paulo optimo verborum Christi interprete ad omnes communicantes, seu illos qui panem bened. edunt, & de poculo bened. bibunt, sive sint Clerici, sive Laici, ut loquuntur, q. d. vos quicumq; editis panem hunc & qui bibitis de calice hoc, quotiescunq; editis & bibitis, deberis annunciare mortem Domini. Quinam verò illi sint, quibus panem hunc edere & de calice hoc bibere datum est, patet ex v. 2. cap. 1. Epistolæ 1. ad Corinth. ubi eam inscribit Ecclesiæ Dei, quæ erat Corinthi, omnibusq; Christianis nomen Domini nostri Jesu Christi ἐπικληθέντες hoc est sive nomen Christi profitentibus sive religiose ipsum invocantibus. Jam autem in Ecclesia Corinthiaca non tantum erant Clerici sed etiam Laici, neque etiam Clerici tantum sunt ἐπικληθέντες τὸ ὄνομα Ἰησοῦ Χριστοῦ, sed etiam Laici, E. etiam Laicis dictum est non tantum edere panem hunc & bibere de hoc poculo, sed etiam quoties edunt & bibunt, commemorare & annunciare mortem Domini.

§. 8. II. QUID? Salvator respondet: *facite in MEI commemorationem.* Quod autem non tam personæ DOMINI JESU CHRISTI, quasi absens fuerit (quomodo Calviniani ex hoc loco inter alia veram Corp. & Sang. Christi in S. Cæna præsentiam negare solent, de qua hac vice non disquirò, siquidem illud non ita pridem à me factum in *Univ. Gessens. Disputatione solenni de Berengarianismo in castris Calvinianorum interpolato, deque ei opposito dogmate, realisc. ac substantiali Corp. & Sang. Christi in S. Synaxi præsentia*) quàm actionum & passionum seu beneficiorum nobis à Christo in diebus carnis actionibus, & passionibus præstitorum memoriam reintegrare in hoc sancto epulo eademq; celebrare jubeamur, ex interpretatione *Pauli* constat, qui pro vocabulo personam

sonam Christi respiciente MORTEM Domini substituit: τὸν θανά-
τον τοῦ Κυρίου καὶ ἁγιάσθη. Neque verò ille, qui mortem Christi
commemorat vel annunciat, personæ ipsius obliviscitur. Mors
autem Christi, uti in aliis locis pluribus, sumitur hic pro tota pas-
sione & sacrificio Christi cruento, quo semel æternam nobis re-
demtionem invenit (non exclusa reliqua obedientia Christi acti-
va) & notatur aliàs per abitum Christi ad patrem, per oblatio-
nem corporis ejus, per sacrificium ejus, per crucem ejus, per san-
guinem ejus. Dicitur aliàs mors crucis Phil. 2, 8. quia cruci af-
fixus mortem subiit.

§ 9. Subjectum passionis & mortis hujus est persona Christi
duas habens naturas, divinam & humanam, quem Apostolus hic
vocat Κύριον Dominum. Vox Κύριος in scripturis tribuitur aliàs
Deo vel simpliciter, vel cum addito: hoc modo vocatur Dominus
qui in cælis est, Dominus cæli, Dominus totius terræ, cæli & terræ,
Dominus Dominantium, Dominus omnium &c. Tribuitur etiam
seorsim Patri, Filio & Sp. S. imo & Messias s. Christo Mal. 3, 1.
Marc. 11, 11. qui etiam vocatur in sacris Dominus gloriæ, Dominus
è cælis, Dominus omnium, Dominus Dominorum, Dominus unus
& hic ipse Messias Ἰησοῦς est Dominus ille, qui pro nobis
passus & mortuus est, ejus passionem & mortem commemorari
& annuciari à communicantibus cupiscit Apostolus.

§ 10. Magnum certè mysterium est non nudum hominem aut
humanam tantum naturam, sed personam, quæ Deus simul est
& homo, imo ipsum Deum in carne sibi personaliter unita pro
nobis esse passum & mortuum. Si quidem scriptura non tantum
dicit: Christus est passus, Christus est mortuus Rom. 5, 8. 1. Pet. 3,
18. c. 4. 1. &c. sed utitur etiam his propositionibus: per mortem
filii DEI reconciliati sumus Rom. 5, 10. Deus dedit seipsum pro
nobis Tit. 2, 13. 14. Deus redemit Ecclesiam proprio sanguine
Act. 20, 28. Sanguis Jesu Christi filii Dei emundat nos &c. 1. Joh.
1, v. 7. Filius DEI tradidit semetipsum pro me Gal. 2, 20. Judæi
crucifixerunt Dominum gloriæ 1. Cor. 2. v. 8. tradiderunt fi-
lium DEI Act. 3, 13. trucidarunt principem vitæ v. 15 in qui-
bus propositionibus proprium humanæ naturæ ei tribuitur
naturæ cujus proprium non est, non quidem nominaliter, impro-
prie, per

prie per $\chi\epsilon\iota\sigma\iota\nu$ &c. quomodo etiam Nestorius concedebat Deum esse natum, passum & Mariam eide $\theta\epsilon\omicron\tau\acute{\iota}\kappa\epsilon\nu$ &c. (qua de re pl. egi in Disp. de Concilio Ephesini contra Nestorium coacti Historia & Decretis *Gryphiuswaldia* inter alias habita) sed personaliter, & ipsius quoque naturæ respectu verè & realiter, &c.

§. 13. III. QVOMODO? Non fit hæc commemoratio *offerendo seu sacrificio missarico* ad similitudinem oblationis & sacrificii in cruce peracti: Neque *fractione panis vel missificâ vel representativâ*; Hi enim commemorationis modi, qui ap. Papistas & Calv. in usu sunt, atque ex hoc textu probari solent, mandato carent ac fundamento, de quibus in ABUSU; sed verum commemorationis modum exprimunt voces in textu $\epsilon\nu\acute{\alpha}\mu\upsilon\eta\sigma\iota\varsigma$ & $\kappa\alpha\tau\alpha\gamma\gamma\acute{\iota}\lambda\lambda\epsilon\iota\nu$. Vox *recordari* ejusq; cognata in scripturis non semper usurpantur simpliciter pro nuda rei aut personæ recordatione, uti Luc. 24, 6. Matt. 5, 23. c. 27. 63. 2. Thess. 2, 5. Sed sæpiissime emphaticè, pro diligenter aliquid considerare, meditari, perpendere, atque hac consideratione potenter moveri Num. 15, 39, 40. Pl. 77, 4. & 12. Psal. 119, 52. Esa. 46. 8. 9. Luc. 17, 32. Joh. 15, 20. Col. 4. ult. &c. Sic recordari & commemorare significat etiam grato aliquid animo agnoscere Psal. 106, 7. 2. Paral. 24, 22. ad aliquid toto animo ferri, illud summopere desiderare & expetere, Psal. 137, 6. Ezech. 23, 27. Ebr. 11, 15. personam vel rem aliquam magni facere, seu plurimo honore afficere. Hinc recordari Deum vel nomen divinum est Deum colere Eccl. 12, 1. Es. 26, 13. sermonem de eo habere, invocare Psal. 63, 7. Pl. 119, 55. seu eum celebrare & prædicare Es. 62, 6. Psal. 6, 6. Psal. 45, 18. ad auxilium alicujus confugere, spem & fiduciam in eo collocare Jon. 2, 8. Nehem. 4, 14. Psal. 20, 8.

§. 14. Vox $\kappa\alpha\tau\alpha\gamma\gamma\acute{\iota}\lambda\lambda\epsilon\iota\nu$, seu *annunciare* ejusque cognata, non semper significant nudè & simpliciter aliquid narrare, uti Matt. 2, 8. c. 8. 33. &c. Sed emphaticè etiam publicè annunciare, prædicare, docere & ut plurimum tribuitur Ecclesiæ ministris Act. 4. 2. c. 13. 5. c. 15. 36. c. 16. 17. & 21. c. 17. 23. &c. Phil. 1, 17. Col. 1. 18. item Spiritui S. Joh. 16, 13. 14. 15. Significat etiam rem aliquam tanquam memorabilem magniq; momenti agnoscere, laudare, celebrare. Rom. 1, 8. c. 9. 17. Marc. 5, 19.

B Ex §. 15.

§. 15. Ex quibus vocum harum acceptionibus, quomodo Christum ejusque mortem in S. Coena commemorare debeamus seu in quo consistat hæc commemoratio abundè constat. Nimirum commemoratio isthæc non est merè *theoretica seu historica* aut oriosa, vel nuda recordatio & narratio; hæc enim in impios etiam & Diabolos cadit, sed potius *practica & efficax*. Unde in Aug. Confess. Artic. de Missa sic legitur: *Christus jubet facere in sui memoriam. Quare missa instituta est, ut fides in iis, qui utuntur Sacramento, recordetur, quæ beneficia accipit per Christum & consolatur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse, Christi beneficia meminisse ac sentire, quod verè exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia banc etiam Judæi & impij recordari possunt.* Hactenus A. C. Sic igitur recordemur Christi & mortis ejus, ut diligenter eam consideremus, secundū omnes causas meditemur, perpendamus, observemus, atque hac meditatione potenter moveamur, tum ad contritionem & dolorem de admissis peccatis, quæ Christum cruci affixerunt, tum ad fiduciam de peccatis per mortem Christi expiatis & remissis &c. ita recordemur ut grato animo mortem Christi agnoscamus, ad illius fructum toto animo feramur, summopere Christum cupiamus, desideremus, expetamus, ut merita Christi magnificiamus, Christum colamus, invocemus, sermonem de eo habeamus, mortem Christi celebremus, laudibus extollamus, ad auxilium ejus confugiamus, spem & fiduciam in eo colloceamus, vera pœnitentia ad eum nos convertamur, ipsius vitam imitemur in patientia, condonatione &c. Deo pro redemptione gratias agamus & simul etiam aliis merita passionis Christi in memoriam revocemus, eos doceamus, peccantes redarguamus, tristes & pœnitentes consolemur &c.

§. 16. Ex quibus colligere est, fieri commemorationem, mortis Christi vel *mente seorsim vel coram hominibus*: aut si mavis vel *internè vel externè*. (1) *Internè & quidem (1) seria meditatione partim magnitudinis peccatorum nostrorum, quæ Christum fecerunt mori & à quibus non aliter potuimus redimi, quàm morte & sanguine Christi: partim iræ divine gravitatis, quæ peccata nostra in filio Dei ultra est.* Ex qua meditatione oritur dolor, contritio, detestatio peccatorum & propositum ea vitandi, Deoque vitam placentem

centem instituendi & (2.) *pia consideratione tum magnitudinis misericordiae Dei*, qui filium suum in hunc mundum misit, inq; mortē, pro nobis tradidit: tum *profunditatis dilectionis Christi*, quā motus mortem sustinuit & quidem non communē, sed cum tot ignominiiis & passionibus conjunctam: tum *certitudinis redemptionis nostrae*, quam morte sua Christus acquisiuit. Ex qua consideratione oritur in corde hominis ob peccata contrito *solarium, refectio & fiducia*, item amor erga Deum & Christum, gratitudinis studium &c.

§ 17. Ad hanc commemorationem interiore accedere debet (2.) *externa*, quæ sit 1. *linguā & verbis*, & quidem gratiarum actione ad Deum pro filio in mortem tradito directā: amoris & beneficiorum Christi, quæ passione & morte sua nobis acquisiuit inqve hoc Sacramento applicat & obsignat, celebratione: aliorum ad consideranda & celebranda Dei beneficia commonefactione. Quo pertinent preces & cationes seu postulatoriæ seu Eucharisticæ, seu homologetiæ, quæ simul habent singulare devotionis incentivum. 2. *Vita est factis* & quidem 1. *fraterna reconciliatione*: qui enim considerat, quam magna & multa propter mortem Christi sibi remittantur peccata, is mortem Domini etiam hoc modo predicat, ut proximo longè minora & pauciora libenter condonet eumq; diligit Col. 3, 13. 2. *Patientia in afflictione*: qui enim perpendit, quantam Christus crucem pro nobis tulerit, quantos dolores in se suscepit, quot devoraverit injurias & contradictiones sustinuerit, is leves calamitates, calumnias, contumelias & *aviliosas* patienti atqve imperterrita mente perferendo, commemorare crucem Dei ejusqve *véngwori* in corpore circumferre suo delectatur. Ebr. 12, 3. 2. Cor. 4, 10. &c. Ita e. hæc commemoratio mortis, quam hic explicamus, distinguitur ab illa, quæ est merè theoretica, historica & otiosa, inqve ipsos etiam cadit Diabolos.

§ 18. IV. QVIBUS AUXILIIS vel MEDIIS? Medium cuius auxilio vel interventu in hanc passionis & mortis Christi memoriam ducimur, est *panis benedictus*, qui est *corpus* corporis Christi, pro nobis in mortem traditi, & *poculum benedictum*, quod est *vinum*

varia sanguinis Christi pro nobis effusi, & illud quidem ab omni-
bus edendū, hic verò ab omnibus bibendus. Hinc Apostolus h. l.
commemorationem mortis Christi præcipiens dicit: *quotiescunq;
panem hunc editis & de poculo hoc bibitis &c.* item: *hoc facite quoti-
escunq;
bibitis in mei commemorationem.* Et si igitur aliàs commemo-
ratio passionis & mortis Christi *immediatè* fieri potest ac debet
per immediatam ejus meditationem, quoties eandem intellectus
repetit absqve tali interveniente auxilio vel medio; hæc tamen,
quam nunc tractamus, *mediata* est, & fit per aliud movens seu me-
diante & adminiculante manducatione panis benedicti & bibi-
tione poculi benedicti sive præsentis sive mox futura sive jamjam
præterita. Passio enim Christi non jam sistitur nobis ipsa præ-
sens, ut inde in intellectu sint imagines directæ, sed ejus loco Sa-
cramentum Eucharistiæ exhibetur, quo mediante & auxiliante
fit imago reflexa ad passionem CHRISTI tanquam præ-
teritam. Unde hanc commemorationem mortis Dominicæ *Eu-
charisticam* diximus, quia in usu S. Coenæ & per Sacramentum Cœ-
næ, quæ communiter *Eucharistia* dicitur à gratiarum actione, exci-
tatur seu renovatur. Et quæ potest esse major magisq; viva & efficax
mortis Christi commemoratio, quam ea quæ manducatione cor-
poris Christi in mortem pro nobis traditi & bibitione sanguinis
Christi in remissionem peccatorum effusi in nobis efficitur? Quid
autem Laicis, quos ita vocant Papistæ, passionem Domini com-
memoraturis non minus necessaria sit utraq; species, ut de tradi-
tione corporis & effusione sanguinis admoneantur, quàm sacer-
dotibus conficientibus, quibus ad integram passionis Dominicæ
commemorationem, repræsentationem & significationem non
sufficere solus panis, quippe qui solius oblationis corporis Chri-
sti memoriam facit, sed necessarius quoque calix esse dicitur,
qui effusionem sanguinis significat, de eo ex hypothetibus Papi-
starum alio tempore.

§. 10. V. QUANDO? Quamvis merita passionis Christi tan-
ta sint, ut quotidianam mereantur commemorationem, tamen
certis temporibus eorum commemoratio solenniori & illustriori
modo instituitur. Et quidem, quod veteres præfens anniversari-
um tem-

rum tempus meditationibus passionibus præstituerint, omnem meretur laudem atque observationem: anniversaria enim recordatio (sunt verba Augustini in præfat. Psal. 22.) quasi representat, quod olim factum est, & sic nos facit moneri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum. Caterum in præsentia Paulus meminit aliud tempus meditationis, & quid. i. ostendit, *quando vel quoties commemoranda sit mors Christi? sc. tunc & toties, quando & quoties panem bened. edimus & de calice benedictio bibimus.* Cum enim in S. Cœna corpus nobis manducandum exhibetur, quod pro nobis in mortem traditum & sanguis bibendus, qui in ara crucis effusus, quid æquius, quid convenientius est, quam tunc commemorare, meditari, agnoscere, apprehendere, applicare sibi & deprædicare crucem & mortem Christi, quando id, quod in cruce pependit & effusum est, manducamus & bibimus?

§. 16. Quoties autem S. Cœna uti, inque ea manducando & bibendo mortem Domini commemorare & deprædicare debeamus, h. l. definitum non est: quamvis enim tempus institutionis Cœnæ sit certum, tempus tamen certum non est institutum. Et particula *QUOTIESCUNQUE*; h. l. opponitur observationi certi temporis circa agni paschalis celebrationem necessariæ, ne sc. quis existimaret administrationem Cœnæ, itidem ad certum tempus esse alligatam. Tempore Apostolorum Eucharistia fuit administrata primâ Sabbatorum Act. 20, 7. Tempore Augustini in multis Africæ Ecclesiis ad Eucharistiam accedebant feria quinta ante festum Paschatos nocte & post cœnam, quam tamen consuetudinem Constantinopolitana Synodus, Trullana aliàs dicta, sustulit. Hodie non tantum diebus Dominicis, ut & diebus festis & feriâ quinta hebdomadæ sanctæ, quâ Christus S. Cœnam instituit, & quidem tempore matutino, quo magis sobrii sumus & attentis, sed etiam, ubi necessitas flagitat, diebus profestis temporeque vespertino ap. ægrotos S. Cœnam celebramus. Quod tamen non sit adiaphorum S. Cœnæ usus, ex verbis *hoc facite* apparet. Quod autem non semel tantum in tota vita, sicut baptismo, sed sæpius hoc Sacramento uti debeamus, ex particula *Quotiescunq;* satis clarum est. In primitiva Ecclesia singulis diebus Christiani Sacra-

mento Cœnæ utebantur: Successu temporis communicarunt singulis diebus Dominicis: Ambros. l. 5. de Sacr. c. 4. T. 4. p. 443. August. Epist. 118. ad Jan. c. 2. Postea ubi defervit pietas cessavit etiam frequens usus S. Cœnæ, cum primis ubi ex Sacramento factum est sacrificium, & tutius esse traditum est, centum interesse missis, quam semel communicare. Quæ de re in Abusu. Utrum verò hæc commemoratio Eucharistica non tantum in ipsa Synaxi, sed etiam *ante & post* illam fieri debeat, non est quod ambigamus. Certè convenit Christianis etiam *ante* Synaxin, intuitu panis & poculi benedicti, quem dignè jamjam accipere cupiunt, & quibus mediantibus Christus suum corpus & sanguinem exhibet, commemorationem isthanc & meditationem instituire, perque hanc meditationem sese præparare, peccatorum sceleratam ex morte Christi agnoscendo inque morte Christi fiduciam collocando &c. de quibus plura §. 16. annotavimus. Convenit etiam *post* Synaxin commemorare mortem Christi, prædicando beneficia per mortem Christi acquisita, Deo & Christo grates persolvendo &c.

§. 20. Deinde notat Apostolus *terminum durationis seu quoque* celebratio S. Cœnæ & commemoratio mortis Domini Eucharistica durare debeat, sc. *ἄχρις ἃ ἀνέλθῃ donec venerit*. Hoc venire denotat adventum Christi visibilem ad judicium, de quo Angeli tempore ascensionis ejus: hic Jesus, inquirunt, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Act. 1, 11. Sicut ergo celebratio cœnæ ad usque reditum Christi ad judicium in Ecclesia repeti, ita quoque mors Domini commemorari in S. cœna debet, donec Christus eo modo redeat, quo in cœlum ascendit, h. e. visibili & glorioso.

§. 21. UBI? Hujus quidem circumstantiæ textus non meminit, quia verò memorialis noster versiculus isthanc quoque exhibet, ejusque vestigia in proximè præcedentibus apparent, majoris etiam lucis ergo illam ipsam hîc obiter tangemus. Ex præced. autem v. 20. & 22. colligere est cœnam Dominicam ap. Corinthios esse celebratam non *privatim sed publicè seu in conventu Ecclesiastico*. Ubi ergo panem bened. edimus & vinum bened. bibimus, ibi etiam mortem Domini commemoremus oportet. Quo ipso
tamen

tamen (1) non prohibetur commemoratio mortis Dominicae fieri in adibus privatis ante vel post usum cœnæ, uti paulo ante diximus Neque (2) etiam cum quibusdam Calvin. negatur, quod Sacra Cœna celebrari privatim sive in adibus privatis extra totius Ecclesiæ conventum debeat: (vid. Beza p. 2. quæst. & resp. q. 242. Musc. in Loc. Th. p. 369. &c. quibus assentiri videtur Maresius in brevi Syst. L. ult. de Cœna) uti enim certum tempus S. Cœnæ definitum non est, ita nec certus locus. Caterum uti ap. Corinth. Cœnam Domini in publico conventu celebratam legimus, ita etiam in nostris Ecclesiis laudabili receptum est more, ut in publicis conventibus post prædicationem verbi ordinariè hoc Sacramentum dispensetur; extraordinariè tamen inque casu necessitatis quo minus privatim vel in adibus privatis S. hoc epulum celebrare atque uni etiam communicaturo e. c. ægroto, administrare liceat, quid obstat, non videmus.

§. 22. CUR? Finem Eucharisticae commemorationis totus contextus & præsertim proxime sequens vers. 27. ostendit. In præced. enim, uti superius dictum, corrigit Apostolus Corinthios suos, quod non debito modo ac sine adeoque indignè S. Cœnam celebrent, inque præsentis textu, quomodo & quo fine id facere debeant docet. In subsequ. autem dicit: *quisquis ergo manducaverit panem hunc aut biberit de poculo Domini INDIGNE* h. e. non commemorando mortem Domini &c. *reus erit corporis & sanguinis Domini.* Ex quibus patet, quo fine commemoratio Eucharistica mortis Domini fieri debeat, sc. ut dignè & salutariter S. Cœna utamur. De dignis & indignis pluribus agit Apostolus in subsequ. textibus.

Nobis isthac jam sufficient,

ut

Dissertationis hujus sit

FINIS.




Fiat, & ingenij specimen nunc exeat istud,
Theilogiaq; tuas signet & ajat opes.
Non leve pondus habent quæ sic proponis, AMICE,
Pendet ab his Theſibus ter tibi magna ſalus.
Ergò tuere locum: Nam nunc tibi quilibet aures
Porriget, atque animos, judiciumq; feret.
Non magè tu poteras verſus cenſere, POETA,
Quàm ſub cenſuram jam tua verba cadent.
Plurimus Auditor, quin ſubtiliſſimus idem
Præſtò erit; hinc pariter tuq; polita dabis;
Et facies, cathedra ſic præſediſſe puteris,
Quisquis ut officio prædicet eſſe parem.
Sume mares animos; mihi ſpes eſt magna profectò,
Non malè ceſſurum, quod meditaris, opus.
Mons, fateor, varius conatibus obſtitit iſtis;
Non niſi virtutis ſcandere (crede) fuit.
Grande PROFESSORIS (ſcis ipſe) eſt nomen & inſtar,
Non vili poteras iſtud habere decus.
Dandum erat exemplar tam ſacri, jure, laboris;
Nec gratis veniat tantus honoris apex.

L. M. Q.

HABICHTHORSTIO ſuo
ſcrib.

H. Dringenberg/
Acad. RECTOR.





tamen (1) non prohibetur commemoratio m
feri in ædibus privatis ante vel post usum cœna
diximus Neque (2) etiam cum quibusdam C
quod Sacra Cœna celebrari privatim sive in
extra totius Ecclesiæ conventum debeat: (vid. B
resp. q. 242. Musc. in Loc. Th. p. 369. &c. quib
tur Maresius in brevi Syst. L. ult. de Cœna) uti er
pus S. Cœna definitum non est, ita nec certus loc
ap. Corinth. Cœnam Domini in publico conv
legimus, ita etiam in nostris Ecclesiis laudab
more, ut in publicis conventibus post prædicatio
nariè hoc Sacramentum dispenseretur; extraordi
que casu necessitatis quo minus privatim vel in a
hoc epulum celebrare atque uni etiam commu
groto, administrare liceat, quid obstat, non vi

§. 22. CUR? Finem Eucharisticæ commemorat
textus & præsertim proxime sequens vers. 27. ostendit
nim, uti superius dictum, corrigit Apostolus Corin
non debito modo ac sine adeoque indignè S. Cœ
inque præsentis textu, quomodo & quo fine id fac
cet. In subsequ. autem dicit: *quisquis ergo man
hunc aut biberit de poculo Domini INDIGNE* h. e.
rando mortem Domini &c. *reus erit corporis &*
Ex quibus patet, quo fine commemoratio Euchar
mini fieri debeat, sc. ut dignè & salutariter S. Cœ
dignis & indignis pluribus agit Aposto

subsequentibus.
Nobis isthæc jam sufficit
ut
Dissertationis hujus sit
FINIS.

